Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1935

Quelle:
Copyright:

ber Ad theodidactos ceu pios lectores in sequentem confessionem noui testamenti, et infra: I. E. *Hereditarius Ratl.* Eundem esse *Hereditarium* reor ac Germanicum *Erber*, alterum *Ratisbonensis* interpretor, qualis patria fuerit obscurus Doctor noster ad Protestantes pertinens, qui in Paraenesi sua studium sacrarum literarum commendat hoc ingressu: *Abeat ad filios huius seculi, Viri et patres phosphoro multo lucidiores, Quintiliani Ciceronisque Eloquencia* &c. Ad calcem: *Hereditarius Ratl. An. Cristi* M. (5) XXXI. 28. *kln. septembris compilauit.* Sequitur *fol.* 7. *Confessio in Matheum per Egidium delphum.* Verum urceus exit; nihil enim nisi exiles Notatiunculae in hunc et alios novi Foederis Libros comparent, quibus tamen subscripsit Noster: *Finis discursus et confessionis noui testamenti scribta post Judica Anno* 1. 5. 3. 1. *Hereditarius discurrebat.* De *Aegidio Delpho* adi, si lubet, *Foppenii Bibliothecam Belg.* Demum *fol.* 59. succedit: *Confessio cene domini.* Germanica lingua scripta haec Confessio quo pertineat, vel ex ultima ejus conclusione liquet, qua adseritur: Corpus et Sanguinem Christi non esse substantialiter et vere sub speciebus panis et vini, sed ab his speciebus nobis tantum refricari memoriam Mysterii a Domino celebrati. Annus 1531. cum literis I. E. rursus subjectus est.

CCCCXCVII.

Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 119. 4. nitide scriptus, iconismisque partim a prima manu pictis, partim aeri incisis et coloribus illitis, ut quidem mens Autoris erat, ornatus, de Creatione Mundi, Lapsu primi Hominis, Vita et Morte Servatoris, institutaque per Eum nova Lege tractat, verbis utplurimum N. T. quibus Animadversiones et Exhortationes suas miscet Autor e mitissimis *Lutheri* adseclis *Benedictus Thullingk Tonsor Panni*, qui se *Gedanensem* et *Elbinganum*, hominemque illiteratum adpellat. Opus ille suum, cui Considerationem de IX. *Beatitudinibus* evangelicis praemittit, inscribit: *Ein Spiegel oder ein Fürbilde der heiligen christlichen apostolischen Kyrchenn*, dicatque *Maximiliano* II. Imp. universaeque ejus Prosapiae a. 1566. in cujus et omnium utilitatem *fol.* 110. optat illud in linguam *Italicam*, *Gallicam*, *Latinam* et maxime *Hispanicam* transferri, nescius, ut videtur, quam formidabile Tribunal ad *Iberum* excubaret. Ceterum, quae adfert, ei tempori accommoda sunt, quo novi Religionum Doctores, ut fungi, nascebantur. Opinionum ejus specimen habe in his *fol.* 54. p. 2. verbis: *Vnnd sollen vnsser kirchen dienner sich nicht schamen dess, das sie Ehre haben ein khorrock anzuzieben oder ein messgewandt,*

weil